

Bibliothèque numérique

medic@

**D. O. M. Theses Anatomicae Et
Chirurgicae.**

1752.

***Paris : Typis Delaguette, Regii
Chirurgorum Collegii
Typographi***

Cote : ms 2332 n°169



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax11x0169](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax11x0169)



D. O. M.
THESES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.



NATOMIAM & ad dignoscenda Chirurgicorum morborum genera, & ad indicandas illorum sanandorum rationes, necessariam quis non judicet? Quantum imprimis ex eâ curandis viarum lacrymalium morbis præsidium affulserit, nemo rerum Chirurgicarum gnarus diffitebitur. De his acturi morbis, partium ergò quas afficiunt, tum structura, tum situs in antecessum paucis exponenda.

Ex glandulâ ad orbitæ limbum, in foveâ quâdam ossis coronalis, propè angulum externum sitâ, humore secreto, oculi pars anterior, interiorque palpebrarum irroratur; hujus verò, lacrymarum nomine noti, residua pars meatibus modò describendis absorbetur.

VERSUS internam utriusque palpebræ extremitatem lacrymalia puncta conspiciuntur: horum principia subtili admodum ad cartilaginis naturam accedente, cinguntur annulo; sunt verò orificia ductuum minorum qui, ex utrâque palpebrâ ad angulum oculi in-

ternum, versùs nares concurrunt. Hi canales à figurâ quam referunt, ab aliis cornua limacum, ab aliis meatus lacrymales dicuntur.

CUM in unum coaluere canalem meatus lacrymales, fit tunc saccus membranaceus amplior, infundibulum ab Anello vocatus; inde definit in meatum angustiore, nasalem dictum, ad interiora narium obliquo tractû descendente, sub osse turbinato reformatum: pro hoc meatû excipiendo fistulam osseam habent insculptam unguis & maxillæ superioris ossa.

HUMOREM lacrymalem canales descripti in nares usque perducunt; hujus verò deductionis modus, palpebrarum motû & structurâ, carunculæ lacrymalis sitû, tandemque mechanicâ viarum lacrymalium constitutione, juxtâ leges siphonis (a) explanatur.

EX CHIRURGIA.

QUINQUE morbi vias appetunt lacrymales: epiphora nempe, sacculi nasalis hernia vel hydrops, anchirops verus (b), ægilops verus, & lacrymalis fistula. Epiphoram, seu jugim & involuntariam lacrymarum manationem parit punctorum lacrymalium obstructio. 1°. A lacrymarum crassitie aut acrimoniâ; 2°. A variolis; 3°. ab ophthalmiâ; 4°. denique ab anchirope vero aut falso oriunda.

VARIA epiphoræ, pro diversâ causâ suis signis facillè cognoscenda, curatio. Epiphoræ à crassitie lacrymarum, Anelli (c) competit methodus, quâ specillorum & siphunculi ope, lacrymalia puncta recluduntur, & liquore deterfivo abluuntur. Ad aliarum curationem, venæ sectiones, cataplasmata emollientia, & ablutiones aquosæ conducunt. Orta tamen post inflammationem suppuratione, cavendum ne lacrymalia puncta cicatrice, nullâ arte sanandâ, occludantur; hic Anelli specilla & injectiones, multum conferunt.

TUMOREM in majore oculi angulo, absque cutis inflammatione, & à lacrymis in sacco nasali retentis efformatum, sacculi nasalis herniam vel hydropem, improprio quamvis vocabulo, nuncupant. Proxima morbi illius causa, meatûs nasalis obstructio; remotæ, 1°. Idiopathica, vel à lacrymarum acredine orta inflammatio, vel excrescentiæ fungosæ; 2°. Polipus (d) in eâ narium parte, in quâ suprâ-dictus canalis recluditur; 3°. tandem exostosis.

TUMOR lacrymalis, cutis non immutat colorem; nec non pressione facillè evanescit; si materia, in illo contenta, aliquandò limphatica, & à lacrymarum humore non absimilis, aliquandò è contrâ albida aut purulenta, per puncta lacrymalia, siue per nasalis meatûs osculum inferius erumpat.

(a) Conf. Clariss. Petit in Act. Acad. Reg. Scient. Ann. 1734.

(b) Nullus nescit quanta inter autores, circa anchilopis & ægilopis significationem, sit controversia. Nos verò distinctione novâ utriusque in verum & spurium, litem componere conamur. Per anchilopem & ægilopem verum eos intelligimus morbos, quibus cum cute saccus nasalis afficitur; per utrumque spurium verò eos intelligimus, quibus cutis & textus Cellularis tantummodò laborant.

(c) Vid. Anel de Fist. lacrym.

(d) M. Le Dran Obs. de Chirurg. Tom. 1. Obs. 6.

Ut causa, sic quoque hujus morbi curatio diversa. Si meatûs nasalîs inflammationem dolor indicet, generalia inflammationis remedia, & injectiones ex emollientibus, tûm per puncta lacrymalia, tûm per meatûs osculum inferius (a) suppetias afferant. Si anellianis specillis, meatûs parietes vel coalitione, vel fungis à suppuratione pendentibus, jamjam paululûm oblitterati deprehendantur, injectiones deterisivæ & astringentes, levisque sacci lacrymalis compressio in usum mittantur. Si tandem vel major sit à causis suprà numeratis ductûs oblitteratio, vel ea ab exostofi pendeat, ad operationem à nobis, dùm de fistulâ lacrymali, describendam, est confugiendum.

ANCHILOPS verus tumor est phlegmonodes in majore oculi cantho, quo non solum cutis & textus cellulosus, sed & ipse lacrymalis sacculus afficiuntur. Quæ sacci herniam, eadem causæ illum producunt. Venæ sectionibus, potu leniente & refrigerante, cataplasmatibus emollientibus inflammationis resolutio tentetur. Hæc verò ut plurimûm inutilia sunt, tumorque in suppurationem abit. Idoneâ tunc incisione puris exitus concilietur; injectionibus detergatur lacrymalis sacculus; candela è plumbo vel emplastro Nurembergii parata, in meatum nasalem per aliquot dies demittatur; deindeque vulnus ad cicatricem perducatur.

CUM verò neglectâ incisione pus per puncta lacrymalia nasalemve ductum effluit, injectiones emollientes & deterisivæ, aliquandòque etiam superiùs laudata incisio adhibenda est. Si verò abcessus foràs erumpat, fit ulcus, ægilops verus dictum, ab ægilope spurio in eo distinguendum, quòd cum pure lacrymalis humor per genas defluat: morbus ille suprà dictâ methodo curatur, modò puris in abcessu commoratio vicina ossa carie non affecerit, vel nasalîs meatus omninò non sit occlusus. Proposita enim tunc nullatenùs succedunt remedia; ulceris oræ callosæ fiunt, lacrymalisque nascitur fistula; ab imperitâ ægilopis deligatione nonnunquam etiam oriunda.

A solâ operatione modò describendâ fistulæ lacrymalis spectanda curatio; ea tamen non celebretur quin affectarum aut vicinarum partium inflammatio, si quædam adsit, sedata fuerit; remediisque generalibus, qualia sunt venæ sectiones, potus aquosus, diluens, leniensque, & purgantia, ad eam æger fuerit dispositus.

LAUDATA præparatione institutâ, æger in sedili collocatur, & caput ejus firmandum ministro committitur; deinde alterius manus digitis intensâ & adductâ cute, ea usque ad sacculum lacrymallem inciditur, lunatâ figurâ, cujus cornua ad oculum spectant. Cùm nihil ab orbicularis tendinis sectione pertimescendum sit, ille absque metu, si fistula in illius viciniis reperiatur, incidi potest; sin minùs, infrâ illum incipiatur incisio, quæ fistulam com-

(a) Injectionum per meatûs nasalîs osculum inferius inventionem plures sibi vindicant; litem non componemus. M. M. Allouel & La Forest Chirurg. Paris. peritis, eam methodum felicissimo cum successu adhibent.

4

plecti, à palpebrarum angulo, quantum fieri potest, abscedere; tandemque versùs obliqui minoris oculi insertionem debet desinere.

LACRYMALEM saccum aperuisse non sufficeret, nisi via lacrymis pararetur; & debellarentur calli, meatûs nasalis obturatio, ossium vicinorum caries, variique morbi fistulam implicantes.

1°. LACRYMIS via parari potest, vel os unguis dictum & membranam pituitariam acû triquetrà, specillive acumine perforando, illamque aperturam candelis aut turundis, usque ad cicatricis inductionem, fovendo; vel meatûs nasalis cavitatem instaurando; (a) quod fit specilli immisione, quo, aut illius parietum cohæsis, aut fungi destruuntur, & cujus ope candela ex plumbo, emplastro-ve Nurembergii parata, usque ad perfectam morbi curationem sæpiùs renovanda, in eundem demittitur. Priori, quæ tamen in exostosis casu sola superest, posterior methodus, aliis omnibus in casibus, anteponenda nobis videtur.

2°. SUA est cuique fistulæ lacrymalis complexioni, curatio; sic 1°. callositates scalpello tutiùs quàm causticis auferuntur; 2°. cariem, quæ specillo, visu, & sanie cognoscitur, volsellis, scalpello & cælo destruere, (b) quàm activis aut potentialibus cauteriis exurere, longè præstat. 3°. tandem meatûs nasalis obturationem candelæ superiùs laudatæ omninò tollunt.

DE Idiopaticis viarum lacrymalium morbis hîc tantummodò egimus. Quoad symptomaticorum curationem, ea non tentanda, quin morbi quibus producuntur, propriis sibi remediis fuerint destructi.

(a) Hæc methodus à nunquam satis laudando M. Petit Chirurg. Paris. celeberrimo proposita fuit & inventa. act. Acad. Scient. Reg. an. 1734.

(b) Vid. M. Petit loc. cit.

Has Positiones, DEO JUVANTE, & Præside M. PETRO FABRE, Liberalium Artium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur ANTONIUS TOURNAY, Parisinus, in alma Universitate Parisiensi Artium Liberalium Magister.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

*Die Martis 26^a Septembris, à sesqui-secundâ post meridem
ad septimam. Anno Domini 1752.*

P R O A C T U P U B L I C O,

E T

M A G I S T E R I I L A U R E A.

Typis DELAGUETTE, Regii Chirurgorum Collegii Typographi.